

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Andreae Alciati Emblemata

Alciati, Andrea

Patavii, 1661

Duodecim certamina Herculis. Emblema CXXXIIX.

[urn:nbn:de:bsz:31-127360](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-127360)

Duodecim certamina Herculis.

Ἀλληγορικῶς .

EMBLEMA CXXXIIX.



ROBORIS inuicti superat facundia laudes .
 Dicta Sophistarum , laqueosq; resoluit inanes .
 Non furor , aut rabies virtute potentior vlla est .
 Continuum ob cursum sapienti opulencia cedit .
 Spernit auaritiã , nec rapto , aut fœnore gaudet .
 Vincit fœmineos spoliãtq; insignibus astus ,
 Expurgat sordes , & cultum memibus addit .
 Illicitos odit coitus , abigitq; nocentes .
 Barbaries feritasq; dat impia denique pœnam .
 Vnius virtus collectos dissipat hostes .
 Inuehit in patriã externis bona plurima ab oris .
 Docta per ora virum volat , & non interit vnquam .

COM-

COMMENTARI I.

I. HERCVLES clava sua armatus ait, exuuijs leonis tectus, cetera nudus: circa quem duodecim ipsius labores v-
cunque exprimuntur: nimirum pugna- cum leone; hydra; apro; ceruo; Symphali-
dibus; Amazonibus; in Augia stabulo; cū tauro; equis; Geryone; pro malis Hesperidum; cum cerbero: & tandem supremo loco exprimitur ipsius rogas, in quem se coniecerat comburendum.

II. Multi Hercules.

HERCVLES Iouis ex Alcmena filius, ob fortitudinem & gloriam creditus est inter Deos esse relatus. Fuisse autem tres Hercules scribit Diodorus. Alii sex autumant, vt testatur Cicero 3. de Natura Deor. Primus, qui certavit cum Apolline de tripode. Alter Nilo natus Ægyptius, quem aiunt Phygias literas contempnissse. Tertius est ex Idæis indigenis, cui inierias offerunt. Quartus Iouis est & Astæie, Latoniae sororis, quem Tyrii maximè colunt, cuius Carthaginem filiam ferunt. Quintus in India, qui Belus dicitur. Sextus Thebanus, ex Alcmena & Ioue tertio genitus, cui aliorum gesta assignant. Herodorus scribit Herculem vnum esse ex duodecim Dijs Ægyptiorum, Græcosq; ab Ægyptijs hoc nomen mutatos si 10 Amphitryonis indidisse. Varro quadraginta tres Hercules nominat: veruntamen omnes, qui robore præstiterunt, hoc nomine ab Hercule Alcmenæ filio appellatos fuisse affirmat; Hunc enim potissimum celebrat ob varia certamina, virtutemq; bellicam: cuius duodecim labores præcipuos (longè enim plures persequitur Diodorus rerum Antiquarum lib. 4.) complectuntur, alij, quos hic sequitur Aleiatus, quanti ad laborum numerum pertinet, quid per vnūquemque laborem sit intelligendum allegoricos enarrans: eum nempe vi eloquentiæ robustos quosque & viribus præditos superasse: Sophistas retulisse Logica, facultatis beneficio: virtute furorem coercuisse: continuis laboribus opes comparasse: avaritiam aspernatam esse: libidinem muliebrem repressisse: cultum animis adiecisse: nocentes abegisse: de barbaro homine suppleiū sumpsisse: sua viuis virtute hostes in vnum cœvntes. discicisse: multas secū opes è locis exteris in patriam reportasse: famam nominis nunquam intermixturā

Allegoria laborum Hercules.

rebus præclarè gestis mericum esse. Quæ singula latius in progressu prosequemur, si paus aliquid de laboribus Herculis dixerimus. In Collectaneis Epigrammatum Græcorum hoc habetur hexastichon Byzantij Philippi:

ἄλεσα τὸν νεκρῆς θῆρ' ἀπλετον. ἄλεσα δ' ὕδρην,
καὶ τοῦρρον, κάπρου δ' ἀμφοτέρωζα γίνυν.
ζῶσθ' ἑλκυσσασί πάλας διομήδεος εἶλον.
χρυσέα μῆλα κλάσας, γηρυόνη ἔλαβον.
ἀυγίαν ἰδάνη, κεμάς δ' οὐγέν, ἔκταρον ὄρησ.
κέρβερον νηαρύομην, ἀσπὸς ἀλυμπον ἔχω.

Duodecim labores Hercules.

Peremi Nemeæ feram terribilem, peremi & Hydram,
Et taurum, apri circumcussi maxillam.
Singulam detraxi, pullos equinos Diomedis sustuli.
Aurea mala postquam fregi, Geryonē cepi:

Augiam noui [si. repugnau] cerua non effugit: interfeci aues [Symphalidas] Cerberum extraxi, ipse Olympū habeo. Extiaxi Nemees monstrum, Lornamq; peremi,

Et taurum, cecidit dilaceratus apri. Balibe'n arripui, Diomedis equisq; cecidi, Geryonem stravi, pomaz; sulua tuli. Augia noui, capta est cerua, atq; volucres, Cerberus abducius, laus in astra se. or. Vel si magis placet ista versio: Dextra feram Nemeæ potij meæ, perdidit hydram.

Et taurum, malas inde cecidit apri. Balibeus est captus, sūt aurea mala relata, Geryonisq; bones, & Diomedis equi. Augias me non fugit, non cerua, volucres, Cerberus aduictus; nunc sed Olympus hab. Hercules labores nonnullos ita breuiter

consecipit Quintus Smyrneus: κροῦτα μὲν, ἐν Νεμῆϊ βριαρον κατ' ἰσπρε λοντα.
Δεύτερον, ἐν λίρην πολυαύχερον ἄλεσεν κύλις.
ὕδρην.
τὸ τρίτον αὐτ' ἐπὶ τοῖς ἱερμαῖοις ἔκταρε κέρον.
χρυσόκερα δ' ἔλαρον μετὰ ταῦτ' ἤγρε καὶ τίταρτον.

Smyrnaei carmen, de laboribus Hercules.

pp. π.μ.

αἰμῶνον δ' ὄνιδας συμφαλίδας ἰξέ-
 δῶξεν.
 ἔκτον δ' ἀμαζονίδος κόμισσε ζωστῆρα
 φαινόν.
 ἔβδμον αὐγεία πολλὴν κόπρον ἰξεκά-
 θηρεν,
 ὄγδον, ἐκ κρήτης δὲ πυρίανθον ἤλασε
 ταῦρον.
 εἰνάτον ἰαθρήνης Διομίδεος ἤγαγεν ἰπ-
 πους.
 ἡμερόν τε θηκατον βόας ἤγαγεν ἰξ ἱου-
 δείης.
 κέρβερον ἑνδέκατον κύν' ἀνήγαγεν ἰξ
 αἰδαο.
 δωδέκατον δ' ἰκίμισεν ἐς ἑλλάδα χεῦ-
 σεα μῆλα.

Qua carmina Latinè pronounciata habentur sic in Appendicibus Virgilij, licet vndecimi & duodecimi sit inuersus ordo.
 Prima Cleonai tolerata arumna leonis.
 Proxima lernaam ferro & face contudit hydram.

Mox Erymantham viã tertia perculit apru.
 Acripedis quarto tulit aurea cornua cervi.
 Strymhalidas pepulit volucres discrimine quinto.

Threiciam sexto spoliavit Amazona baltheo.

Septima in Augia stabulis impensa laboris.
 Oëana expulso numeratur adorea tauro.
 In Diomedais victoria nona quadrigis.

Geryone extincto decimam dat Iberia palmam.

Vndecimum mala Hesperidum distraita triumphum.

Cerberus extremi suprema est meta laboris.
 At Q Smyrnaus decimumtertium addidit laborem hoc pacto:

τὸ τρισηδέκατον, τοῖον λυγρόν ἔγεν
 ἀέθλον, (ραῖς.)

μυνονυχὲ πεντήκοντα ἔννεμιζατο κέ.
 Tertius hinc decimus labor est durissimus,
 vna

Quinquaginta simul superavit nocte pul-las.

Apollinaris Carm. 9. etiam plures tangit, licet vixatè duodecim numerentur, sic enim vult:

Non hic Herculis excolam labores,
 Cui su, cerua, leo, gigas, Amazon,
 Nesses, tauros, Erga, aues, Lycus, fur,
 Nessus, Libs, inga, roma, virgo, serpens,
 Oeta, Thraes equi, bones Ibera,
 Lucè nior, stnuis, sapis transformis

Portatusq; polus polus dederunt.
 Non possum tranfluolare Martialis carmè de Herculis laboribus, lib. 9. Epigram. au- dem.
 Martialis de hys dem.

Si cupis Alcida cognoscere facta prioris,
 Disce: Libyn domuit, aurea pomatulis,
 Peltatâ Scythico discinxit Amazona nodo,
 Addidit Arcadio terga leonis apro.
 Acripedè fluis ceruû, Strymhalidas vndis
 Abstulit, à Stygia cum cane venit aqua.
 Faciendam vetuit reparari mortibus hydrâ,
 Hesperias Tusco lauit in amne boves.
 Labores Herculis decantat etiam Homerus lib. 11. Odyss. & Q Calaber latè lib. 6. de relictis ab Homero Cicer. 2. Tusc. Diomedorus Siculus lib. 4. c. 3. Silius Italicus lib. 3. Martialis lib. 5. Epigr. 66. Ouid. 9. Metamorph. Perottus latissimè. Lilius Gregor. libellum de Hercule composuit. Testatur Sanctius de suo Pylade, Io. Mallara Hispanensi, cum tam ingeniosè in duodecim cantus labores Herculis digessisset, idque Hispana lingua, vt nihil ibi deesse credas, quod ad eruditionem & leporem spectet. Vide quoque Natalem Comitè Mythol. lib. 7. cap. 1. & alios plurimos.

ROBORIS innuicij quod non posse vinci videbatur. Allegoria est huius.

Prima Cleonai tolerata arumna leonis.
 Primum Herculis certamen fuit cum leone Nemæo inter Cleonas & Phliumtem, erat leonis illius pellis nullo ferro penetrabilis, sicut Iuno instituerat, quæ odio implacabili Herculem persequeretur. In hunc Hercules multas sagittas frustra coniecit, neq; omnino læsit; quare exhausta pharetra cum claua feram insecutus est, quæ cû in speluncam biforem aufugisset, alterum ostium occlusit, deinde brachijs circa col-lum coniectis eò vsq; astrictam tenuit, donec suffocauit; quam supra humeros sumptam Mycenæ asportauit, eiusq; pellem inuulnerabilem detractam in posterum pro seuto gestauit. Fuerunt autem tres leones ab Hercule interfecti, Heliconius, Icfbius, Nemeæus. Quo intelligi datur, facun-

diam corporis viribus esse præstantiorem.
 Non enim viribus, aut velocitate, aut celeritate corporum res magnæ geruntur, sed consilio, ratione, prudentia, eloquætia. Nec vetò aliquid magni momenti vires obire possunt aut suscipere, nisi consilium, & ingenij dexteritas antecesserit. Sunt qui aliter leonis Nemeæi ex dea interpretentur.
 Memo-

In Re-man.

III.
 Primus Labor Herculis leonis Nemeæi cædes.

Eius alle-goria.

Leo Ne-
meus.

Memoriae prodidit Chrysermus lib. 2. re-
rum Peloponensium. In unone supplicium de
Hercule fumere volentem, Lunam in au-
xiliū acciuisse, carminibus magicis vsam,
quae cistam spuma impleuit, ex qua natus
est hic leo. Hunc Iris in gremio stringens
in montem Opheltam deportauit, à quo
eadē die Apysamptus pastor fuit dilaniatus,
vt ait Demodocus in rebus Heraclae.
Anaxagoras fabulatus est, in Luna fuisse la-
tam quādam regionem, è qua hic leo Ne-
meus deciderit; quid mirum, cum idem
Solem etiam nō minus stultē malsam ferri
igniti appellaret: est enim non ignobilis
stulticiæ gradus, vel si nescias quid dicas,
ramen velle de rebus propositis hāc vel il-
lam partem stabilire, Hunc ergo leonem
inermis Hercules interfecit, vt ait Pisan-
der: hoc est iram cohibuit ac repressit, quae
in fortium virorum animis maximē regnat.

Diffa Sophistarum] Sic ille:

2. Hydra Proximo lernaam ferro & face contudis
Lernaam hydram.

Secundus Herculis labor est, quo hydram
belluam septem capitum (Zenodorus no-
uem, Heraclides Ponticus quinquaginta
capita illi fuisse tradiderunt) in Lerna pa-
lude omnia vastantem, pugna perdifficili
vicit, & ferro facibusq; oppressit. Quo ar-
guitur, virum sapientem & facundum,
multiplices Sophistarum argutias, & elen-
chos veritatis specie adumbratos, ingenij
viribus retundere, Hydre vno capite refe-
cto septem alia repullulabant: quod notat
artis sophisticæ captionem. Si enim agas
cum Sophista, vno argumento reprehensio,
multa alia tibi opponet, teq; (si diligē-
ter caueris) ad absurdum, vel *ἀδύνατον*
adiget. Certamen hoc ad alios vsus cōuertunt
alij, vt ad diluuium, ad vitia. Qua de
re proverbium est, *Lerna malorum* &, *Hy-
drum fecas*. Socrates apud Platonem in Eu-
thydemo fatetur se multo imbecillio-
rem Hercule, qui pugnare simul non potuit ad
uersus Hydram sophisticam, cui propter
vnam sapiēciam pro vno sermōnis capite
amputato multa repullulabant. Vide pro-
uerbium, *Hercules aduersus suos*. Adhuc
Pierium lib. 16. euolue. Chiliadum autor
putauit hydram inuidiae referre symbo-
lum, Horatij deceptus testimonio, cum ni-
hil minus illic inēdat Horatius. Vide ada-
gium, *Herculei labores*, Obiter noto, So-

phistas olim dictos fuisse Philosophos & Sophista
sapientiae professores, deinde verò Rhetores,
postremo abijt nomen in inuidiam, vt
Sophista dicerentur, qui fictam quandam
sapientiae speciem iactarent. Vide Celiū
Rhodigin. lib. 19. cap. 17.

Laqueos] Paralogsimos & captiones, va-
nas illas quidem, & ad ostentationem seu
fallaciam comparatas. Laquei, pro quacū-
que re, qua homo capi aut irretiri potest,
frequentissimē sumuntur.

Non furor, aut rabies] Exponit hoc:

Mox Erymāthcum vis tertia percussit aprū.

Tertio certamine aprū terribilem in Ery

mantho monte Arcadia omnia vastantem

cepit, & ad Eutytheum viuum perduxit.

Quod innuit, virtutem furor & rabiei nō

cedere, imò longē antecellere. Impetus e-

nim & furor per aprum iudicatur, vt docet

Pierius Hieroglyph. 9.

Virtute] *ἀδύνατος*, est enim propria viri

virtus.

Potentior] valentior, firmior.

Continuum ob cursum] Sic Poeta:

Eripedis quarto tulit aurea cornua cerui

Quarto ceruam eripedem, & celeritiam,

aurea cornua gestātem cepit, quam in Me-

nalo monte habitantem nemo mortalium

cursum comprehendere potuit. Hanc cum

neq; occidere, vt Dianae sacram, neq; vul-

nerare vellet Hercules, annum totum cur-

rendo est insecutus; sed illa tandem fessa in

montem Artemisium cōfugit, & ad Lado-

nem amnem iam iam tranatura capta est.

& Mycenae super humero deportata. Sunt

tamen qui dicant, ineptē fictū à poetis cer-

uas aurea cornua habere, cū omnino cor-

ibus careant. Sed contra hos disputat

Cael. Rhodigin. lib. 7. cap. 15. Hoc quid-

quid est ad sapientem referendum est, cui

& ditissimi cedunt & opulentissimi: cerua

enim cornibus aureis donata diuitiarum

symbolum est. Notum illud Aristorelis in

Politico, facile esse ditari Philosophis. si

velint. Hinc cum Dionysius Aristippo

talentum petenti diceret: Nonne doctus

sapientem non egere? Da, inquit, & respō-

debo. Dedit rex, ac mox responsum egerit.

Tum Aristippus: Nonne verum dixi, sapiē-

tem non egere? Vide adagium, *Sapiens*

non eget.

Sperni & auaritiam] Illud est:

Stymphalidas pepulit volucres discrimine

quinto.

in Aues
Strympha-
lides.

Strympha-
lides ga.

Historia
Strympha-
lidum.

Quinta pugna fuit, auium Strymphalidum humanis carnibus vescitium expulsio, sonitu cuiusdam aenei instrumenti, quod à Vulcano factum Pallas eò aduenti Herculi concessisse ferunt. Quod est lucrum inane, & auaritiam respuere, raptumque omnem putare nefas. Strymphalides enim volucres auaritiam referunt, propter incuruos ungues, quemadmodum & Harpyiæ apud Virgilium. Sed quæ potest esse volucrum cum auaritia collatio? Volucres per aerem volitantes, in quo tamen victum comparare non possunt, cupidi & auari hominis cogitationem (alij atq; alijs opibus semper inhiantem, qui tamē nec partis bonis utatur, sed tenuissimo victu genitū defraudet, & in quo consistat non habet) satis ostendunt: qui quoniam vel natura deprauata, vel vsu longo induratus est, ad respiciendam aliquando pertrahi potest quibusdam acerrimæ orationis crepitaculis, quibus aut arceatur, aut à proposito, malaque consuetudine dimoueatur. Alij malit hoc intelligi de scortillis quibusdā & impuris mulierculis, quarum illecebras & insidias detegimus cneo sapientis crepitaculo, quod tanquam tuba in aures penetrat, ut Bassius loquitur: vix enim alia figantur ratione cōmunes illæ pestes adolescentium. Sed tenera fuerunt aues, quæ Strymphalides vocantur, in locis Arabiae desertis, in hilo magis quam leones aut pardī mites hominibus, siquid vel ferro, vel relecta corpora rostris percutientes, integumenta facillimè perfringebant: quare postea iuuentus fuit cortex, quo homines lecti si percuterentur rostris, illæ defixi rostro in illo libro tanquam visco, aut aliqua tenacissima materia caperentur, ut ait Pausanias in Arcad. Fuerunt autem istis Ægyptijs persimiles, sed rostro rectiore & validiore, corpore multò maiore. Memorix prodidit Timagetas, Strymphalidas illas, quæ repulsa fuerunt ab Hercule, alas & rostra & ungues habuisse ferreos, quas modò σιδυποπιγγες, ferreis alis scilicet, modò σιδυποπιγγες, hoc est, unguibus ferreis, modò σιδυποπιγγες, rostris ferreis nominant. Vide Cælium Rhodigin. lib. 16. cap. 11.

Nec raptō aut fenore] Atqui tantum abest ut sapiens raptō gaudeat, ut etiam ab omni turpi lucro abhorreat. Fœneratores enim inopum sanguinem hauriunt, à quo

vicio nos passim sacra dehortantur literæ, Psal. 13. & 14. Luc. 6. Benefacite, & mutuum date, nihil inde sperantes, & erit merces vestra multa.

Vincit femineos] Illius est declaratio: Theiciam sexto spoliavit Amazona baltheo.

Sexto certamine mulieres Amazonas debellavit, earumq; reginā Hippolytam cepit, cui cingulum militatē abstulit. Quod est astutiam muliebrenā & dolos, fallaciāque coercere, & vafriciæ materiam penitros eripere, meretricias artes omnes detestando, inq; ordinem cogendo, & spoliatō ornamentis, quibus homines capiuntur. Vel est detrahere ornāmēta, quæ non meretrici, sed honestæ matronæ debentur. Est enim hic Amazon mulier bellicosa, meretricem referens, quæ vel fortissimum posse deuincere. Allusum autem videtur ad id, quod dicitur, zonam soluere. hoc est de uirgine. Noa enim nupta olim zona lanea & innodata cingebatur, quam prima nocte sponsus soluebat.

Expurgat sordes] Est illius in uisio: Septima in Augiæ stabulis impensa laboris.

Labore septimo Augiæ stabulum vno die expurgauit. Quod arguit vitiorum errorumq; innotorū, vel etiam qui succereuerunt assuetudine quadam longa, ab animo expulsionem. Nihil est enim tam horridū, tamq; sordens, quod eloquentia non possit excuti. Et quia sapientia prima stultitia catuisse, debet ad curādos animos antecedere diligens præparatio. Sunt qui Augiæ stabulum ad historiam retorquent. Dicitur enim Augias Solis fuisse filius, tanrumque habuisse armentum, & tot greges, ut pars maxima agri fimo obducta ociosa & inculca iaceret; nam quidam tradiderūt ibi stabulari consueuisse tria millia bouum, quod stabulum nunquam fuerat purgatum. Hercules igitur vel aliqua parte agri, vel alia quauis mercede sibi promissa, Alpheū fluium in ea loca diuertit, omuemq; fimi copiam deleuit. Deinde cū regio ad fertilitatem redisset, stabula Augiæ purgasse dictus est. Augias illi mercedem negauit, quia videretur nullum probè laborem sustinuisse illis stabulis purgandis: nam infalsi plerique non animi, sed corporis viribus & laboribus præmia proponunt.

Cultum mentibus addit] cultus animi est Philosophia.

Illicitos

6. Amazonum regina Hippolyta.

Zonā soluere.

7. Augiæ stabuli purgatio.

Historia de Augiæ stabulo.

Illicitos odit coitus] natura vel lege prohibitos. Fabula sic habet:

8. *Lucina eū taurō.*

Octava expulso numeratur adorea taurō.
Octavo tantum ignem naribus efflantem luctamine domuit, & ex Creta expulit. Quod est fontes abigere, & omne illicitū facinus scelusq; execrari. Vel furorem aut truculentiam animi cohibere. Est autem taurus animal Venerum, quod matrem & sorores inire solet; hinc addidit, *illicitos odit coitus*. Taurus item & Iastaurus in Hieroglyphicis sunt obscœna verba, de quibus Pierius Hieroglyph. 3. Cœl. Rhodigin. lib. 21. cap. 22.

Taurus, verbum obscœnū.

Abigitq; nocentes] Hinc nomen habuit *ἀλεξινάκας*. nam & plerisq; dictus est natus ad homines iuandos.

Barbaries, feritasq;] Exponit hoc:

9. *Diomedes cum suis equis victus.*

In Diomedæis victoria nona quadrigis.
Labor nonus est, quo Diomedem Regem Thraciæ crudelissimum, qui sanguine & carnibus humanis equos alere consueverat, perdomuit, & eius exemplo ipsum suis equis dedit pabulum: plerunq; enim barbari quas pœnas alij intulerunt, ipsi tandem perferunt. Quod significat, Herculem eloquentiæ & sapientiæ viribus barbariem & ferocitatem ab omnibus, quas incoluerit, regionibus submovisse. Equus autem peculiari epitheto *ferus* dicitur, & *ferox*. Horatius 1. Sermon. Sat. 5.

Equi te

Esse feri similem dico.

Virgilius 4. *Æneid.*

Stat somipes & fræna ferox spumantia manat.

Vnius virtus] Illius est solutio:

Geryone extincto decimam dat Iber' a palmam.

10. *Geryō tricorpor superas.*

Decimo labore Geryonem tricorporem & tricipitem bello expugnauit. Id est, collectam, & vnanimem hostium multitudinem sua virtute compressit, indeq; victor euasit. De Geryone satis dictum Emblemate 40. vnus enim dicebatur, cum tres essent fratres.

Inuehit in patriam] Huic respondet:

Vndecimum mala Hesperidum detracta triumphum.

11. *Poma Hesperidum.*

Vndecimo aurea mala Hesperidū, occisoprius peraugili dracone, susulit, & secum in Græciam portauit. Argumentum boni & laudari viri, qui patriam externarum rerum spolijs locupletat. Fama est, Iunonē,

cum nupsisset, Ioni in dotem dedisse multas pomos, quæ aurea mala producerent, quæ apud Hesperidas nymphas à dracone peraugili custodiebantur. Eo igitur interempto Hercules aurea mala decerpit, & ad Eurystheum detulit. Quod est referendum ad illam, qua docti & sapientes hermines abundant, insignem rerum copiam, qua eos sua fortuna vitæq; conditio beat. Alij maluerunt, illum admonitum à Prometheo fuisse, vt Atlantem ad ea pro se mitteret, ac ipse tam diu cœlum, dum rediret Atlas, sustineret. Fabulam sic explicant; dicunt Atlantem magistratum gerentem in quandam rerum maximarum aliquando incidisse difficultatem, qui cùm Herculis sapientissimi hominis consilio rem præclare transegisset, tres oues Herculi largitus est, quod munus, vt ea ferebant tempora, non parum erat honorificum. Cum verò *μῆλα*, & oues sint, & mala fructus apud Græcos, locus datus est fabulæ. Quidam dixerunt mala à nymphis Herculi fuisse donata, cum draconem custodem cecidisset: quia Draco pastor fuit violentus planè homo, & immitis aduersus omnes. Huius oues mala dicta sunt aurea, cùm essent oues aurei coloris.

Allegoria.

Doctæ per ora virum] Postremum hoc explicatur:

Cerberus extremi suprema est meta laboris.

Duodecimo & postremo, Cerberum tricipitem ab inferis tractū ad auras deduxit, quod fortitudinē per omnia omnium ora volitantem, & immortalem nominis gloriam apud posteros semper victuram perspicuè significat. Nam, vt est apud Diodorum, magnos multosque, dum vixit, labores & pericula sponte adijit Hercules, vt pro suis erga omnes gentes beneficijs immortalitate donaretur. Cic. 1. Tusc. Abijit ad Deos Hercules: numquam abijisset, nisi cùm inter homines esset eam sibi viā munuisset. Facile trāsilio Pindari locum, vt potè longiorem, de Hercule, 1. Nemeorū.

12. *Cer' berus triceps.*

Hæc (mea quidem sententiâ) est apothecis Herculis, è rogo Oetæo videlicet in cœlis, vt illi fabulantur. Minucius Fel Hercules vt hominem exuat, Oetæis ignibus concrematur. Iulius Firmicus: Cremat & consecrat Hercules tristis Oetas. Seneca in Hercule Oetæo. Et hanc videntur fuisse vinulati Romani in Augustis suis conseruatis.

Apothecis, sis Hercules.

De quo more vide Herodianum in Seuerianis. Quare praestantes viri post praecla-
re gesta viuunt, perpetua hominum me-
moria, adeo vt etiam mortui praesentes ef-
se videantur: virtutis enim & fama lumē
nunquam extinguitur. Horatius:

Viuat extento Procul eius auro.

*Cerberus
ex inferis
trahere,
quid.*

Hanc allegoriam explicatius protulit Ru-
dolphus Agricola lib. 1. de Inuent. cap. 3.
Magni, inquit, sudoris est, Cerberum tici-
pitē ab inferis extrahere; hoc est, abstrusa
& in rerum interiore recessu latentia pro-
ponere. Nonnulli hoc traduci malunt ad
auaritiam thesauros in tenebris occlusos
asferuantem, nec in lucem erui permitten-
tera. Ea tamen, si a viro gloriae cupido co-
erceatur, & ex animi recessu, in quo locū
occuparat, expellatur, opeque illa confu-
tantur ad vsus hominum, magnum certe
momentum afferant ad obtinendum no-
men: licet enim vera gloria sita non sit in
opibus & facultatibus, ad gloriam tamen
obtinendam magnum adiumentum adferūt.
Videtur autem hic nosser versiculo hoc
postremo alluisse ad nomen Ηρακλῆς,
quod à κλέος & ἦρα. At ἦρα ponitur pro
aere, nedum Iunone, vt tradit Macrobius
Saturnal. Hemistichium est Ennij veteris
poetae, relatum à Cicerone 1. Tuscul.

Volio docta per ora virum.

IV.

PER Herculem ἀλεξίκακον, qui vir
magnanimus, prudens & eloquens fuisse
perhibetur, intelligenda est coniuncta cū
sapientia & virtute facundia. Ac per duo-
decim, quos exire lassē dicitur labores, καὶ
ἀλλογορίας ea sunt intelligenda, quae Em-
blema explicauit. Heraclidis Pōici dispu-
tatio ad Homerū allegorias mirē ad hāc no-
strā facit explicationē. Verba eius auctoris
haec sunt: ἡρακλῆα νομιστὸν ἔκαστο σωμα-
τικῆς δυνάμεως ἀναχθῆναι ἰσοῦτον ἰσχύ-
σαι τοῖς θεοῖσιν. ἀλλ' ἀνὴρ ἔμφραν καὶ
σοφίασφόρου μύσης, ὡς περὶ καθεύας
ἀχλὺς, ὅτι δεδουκῆσαν ἰσώτισε τὴν φιλο-
σοφίαν, κατὰ περ ὁμολογῶσι καὶ σοικῶν οἱ
δοκιμώτατοι. περὶ μὲν οὖν τῶν ἄλλων
ἀθλων ὁ πόσις τῆς παρ' Ὀμήρου μνήμης
ὑπερῶσι, τί δὲ παρακέρων ἰκμηκῆνεν
φιλοτεχνουντας: ὅτι κάπρον μὲ εἶλε τὴν
ἐπιπολάζουσαν ἀνθρώποις ἀκολασίαν.
λίοντα δὲ τὴν ἀκρίτως ὀρώσαν ἰφ' αὐ-
τῶν κατ' αὐτὸ δὲ θυμὸς ἀλλ' γί-
γναι πεδῆσαι, τὸν ὑβριστὴν ταύρον ἰσομῆδη

*Heracli
dis locm.*

δεδῆκῆνας. δειλίαν γὰρ μὴν ἰσχυρὰ θεουσέν
ἐκ τῆ βίαι τὴν κεραυνίαν ἔλαφον. καὶ τὸς
ἀσπερπῶς ὀνομαζόμενος ἀθλος ἰκμηκῶς
θῆται. διακαθάρματος αὐτῆ τὴν ὄπτηρι-
χασαν ἀνδρίαν. ὄρρει δὲ τὰς συννημῆς
ἰλπίδας, αἰετῶσκι τὸν βίον ἡμῶν. ἀπὸ
κίδαιτε δὲ καὶ τὴν πολύχουον κόπρον, καὶ το-
λυκίφαλον ὑδραν ἥτις ὅταν ἐκκοπῆ, πῶ-
λιν ἀρχεται βλασάτειν ὡς περ αἰδρεῖαν τε
καὶ διαπυρὸς τῆς παρανίσεως ἐξικοφέν-
αὐτὸς γὰρ μὴν ὁ τρικέφαλος δειγῆς ἢ λίφ
κίρκερος εἰκότως ἀν τὴν τριμερῆ φιλοσο-
φίαν ὑπαντίθεται. τὸ μὲν γὰρ αὐτῆς λο-
γικόν, τὸ δὲ φυσικόν, ὁ δὲ ἠθικόν ὀνομα-
ζεται. ταῦτα δὲ ὡς περ ἀφ' ἑνὸς ἐκφευ-
κότα, τριχῆ κατὰ τὴν κεραυνὴν μερίζε-
ται. περὶ δὲ τῶν ἄλλων ὡς περ εἶπον ἀθ-
λων ἰσυντάμει δεδῆλαται. Quorum len-
tentia verborum haec est: Minime putandū
est, Herculem corporis viribus olim tantum
prestare potuisse, ac cū prudens esset, & ca-
lesti sapientia plenus, seu profunda caligi-
ne demersam Philosophiam illustrauit. quae
sententia etiam principum Stoicorum est.
De alijs itaq; certaminibus Herculis, quae
ab Homero non memorantur, quid attinet
ad ingenij ostentationem multa praeter rem
verba facere? Aprum enim cepit, hoc est,
versantem inter homines intemperantiam:
& leonem domuit, nempe impetum reme-
ruentem quod minime decet. Eadem ratione
cū brutam iracundiam compe-scuisse at-
que fransset, taurum cornu peram dicitur
est astrinxisse. Expulit etiam & propulsa-
uit ē vita mecum, quod per Ceruoniam cer-
uam ostenditur. Et quoddam etiam cer-
tamen, quod nominare non conuenit, idē su-
bit, repurgata, quae prius tenebatur, animi
fecunditate. Cohibuit & uolucres, nempe spem
in anem & ventosam, quae hominum vita
vt plurimum laetatur. Adhaec plurimum
sini expulit, & multis capitibus hydram
superauit, quae abscissa renasci non desine-
bat. Hanc sicuti αἰδρεῖαν, id est, imperitiam
aliquam, igni excidit, hoc est, admonitio-
ne. Tam vero Cerberus triceps in lucem per-
tractus, non male triplicem philosophandi
rationem innuit. Sunt enim Philosophiae par-
tes, ea quae rationis est, Logica; quae natura,
Phylogia; quae morum, Ethica nomina-
tur: & ea quidem tanquam ex una serui-
ce prognata, triplici etiam modo iuxta ca-
put distribuuntur. Et haec quidem de alijs
laboribus dicta sufficiant. Haecenus He-
raclides;

Dimi
Chryso
m lacu

Dionis
Chryso-
stomi locus

raclides; cum quo insigni loco velim vnâ conferri quæ disputat Lactantius diuin. Insit. l. cap. 9. Cetera enim percensere nihil atinet, nisi maximè ad rem faciât. Quo in argumento dum animus elaborat, mihi artifice nobilis disputatio Dionis Chryso-
stomi, qui Herculis à *Δαυρ* seu labores vel ærumnas ita celebrat, vt eum ex aduerso athletis opponat, & Principem fortissimū atq; iustissimū faciat. Peruigil & tenuis erat, inquit ille, vt leones, neq; enim carnis onustus, vt athleta, potuisset Asiâ Europamq; peragrare. Acutè videbat, acutè audiebat; neq; hyemis aut æstus vim curabat, vt à præclaris actionibus reuocaretur. Solida pelle indutus, interdum fame correptus bonis opem ferebat, improbos verò aut de medio tollebat, aut in ordinē cogebat. Diomedem enim Thracium delicijs affluentem, & hospites afficientem in uria, suosq; subditos miserè seruire cogentem, claua percussit de medio sustulit. Geryonem boues permultos, & multa pecuaria possidentem, vt opulē. à Principes omnes, qui in Occidente essent, faciliè superaret, sed tamē eundem nimia superbia elatum, vnâ cum fratibus interfecit, eorumq; arma menta corripuit. Idem cum Busirim offēderet certantibus toros dies occupatum, totos dies conuiuia agitantem, sibi vnâ placētē, quò egregius luctator esset, prostrauit. Amazonum reginæ zonam soluit, quæ illum fuerat aspernata: quo congressu ostēdit, se illius forma minimè fuisse luperaxum, vel mulieris gratia potuisse vnquā à rebus excellentibus, quas primū animo conceperat, auocari. Ne autem videretur arduis tantūm rebus & gloria dignis operam impendisse, sinum iacentem in Augiæ stabulis, à multis annis collectum æquilinū repurgauit. Purabat enim non minus esse sibi aduersus gloriā decertandum, quā belluas & homines sceleratos. Hęc penè Dio Oratione 8. de virtute. Idem labores Hercules retulit ad purgationem animi & vitiōrum expulsiōē. Oratione 5. Sed obiter admonco, plerosq; existimare, vt Lucianus (quemadmodum postea dicemus Emblemate 181.) Hercules virum fuisse Gallum, qui tum solerti quadam prudētia, tum admirabili eloquentia, qua maximè valebat, præclara facinorosa insigni fortitudine sit exaltatus, & ingenij dexteritate summas qualque difficultates

Hercules
vir Gal-
lus.

superaret: quæ tamen omnis Græcia quàm plurimum mendax, ad armorum gloriā conuertere maluit. Prætermiseram Apuleij *ἡμιόδιον*, quod imprimis ad rem facit, ex 4. Floridorum: Quod Herculem Poeta olim memorat monstra illa immania hominum ac ferarum virtute subegisse, orbēq; terræ purgasse; similiter aduersum iracuandiam & inuidiam, atq; auaritiā ac libidinem, ceteraque animi monstra ac flagitia Philosophus iste Hercules fuit. Eas pestes omnes mētibus exegit, familias purgauit, malitiam perdomuit, seminudus & ipse, & claua insignis, etiam Thebis oriundus, vnde Herculem fuisse memoria extat. Huc respexit Poeta quidem Italus, sanè festiuus, dum in hominū corruptibus vitijs obnoxii inuehitur tali carmine:
Se'l Ciel mosso à pietà de' danni nostri,
Mandasse in terra vno Hercule nouello:
Te domar non potrebbe, ò crudo o fello,
Quà sà venuto da gli Stigij chioftri
Che s'egli die già morte à tanti mostri,
Vinse à diuisa pugna hor questo, hor quello,
E tu di tutti insieme à vn sol duello,
Lo sembrazze, o'l poter gli hauresti mostri.
Crudo cor, man rapace, e bocca ria,
Parer ti fanno, à chi'l guardo vi gira,
Fiero Drago, empio Cacco, infame Harpia.
E sei cinghial d'orgoglio, e leon d'ira,
E di tofco Hidra. Hor chi ti conteria?
Il gran mostro de' mostri in te si mira.
Videram pridem locum Plutarchi in Problem. quo rationem reddit, cur olim Hercules atque Musis communis ara facta sit: quia nimirum Hercules Euandrum literas docuit, vt à Iuba memoriæ traditum est. Honestum enim & liberale dacebāt, si amici ac propinqui literarum & sapientiæ cognitione perpolirentur. Alij nihil aliud Hercules esse quàm Solem crediderunt. Sol, qui propter imagines Zodiaci duodecim labores absoluisse dicitur. Atq; vt summam colligam, illa quæ tradita sūt de Hercule non solum ad Solis naturam, sed etiā ad humanæ vitæ institutionem tradita sūt: quippe cum alioquin frustra laudes Hercules commemorarentur, cum illa monstra, quæ dicuntur ab illo fuisse domita, neque ita esse potuerint; neq; si fuissent, nobis obessent, vt canit Lucretius lib. 5. his versibus:

Hercules
vicia do-
mans.

Hercules
Sol.

Quid Nemeus enim nobis nunc magnus
 hiatus
 Ille leonis obesset? & horrens Arcadius sus?
 Deniq; quid Creta taurus, Lernaq; pestis
 Hydra venenatis possit vallata colubris?
 Quidve tripeitora tergemini vis Geryonai?
 Et Diomedes equi spirantes naribus ignem,
 Thracen, Bistoniuq; plagas, atque Ismaria
 propter,
 Tantopere officerent nobis? unciq; timenda
 Vnguib; Arcadiae volucres Stymphala co-
 lentes?
 Aureaq; Hesperidū seruens fulgētia mala
 Asper, acerba tuens, immani corpori ser-
 pens,
 Arboris amplexus stirpem? quid deniq; ob-
 esset
 Oceani propter litus, pelagiq; sonora,
 Quo neq; noster adit quisquam, nec barba-
 rus audet?

In nothos.

EMBLEMA CXXXIX.



HERCULEOS spurij semper celebratis honores:
 Nam vestri princeps ordinis ille fuit.
 Nec prius esse Deus potuit, quam suggeret infans
 Lac, sibi quod fraudis nescia Iuno dabat.

COMMENTARI.

1. **I**N nubibus Iuno sopita decumbit, cuius
 mamsis lacte ipse infantem Her-
 culem admonet, spectante suo armigero,
 aquila nimitum.

A.L.